

homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescbat virtute: nunc vero quod Maria pepererat, pendeat in cruce.

3028 Moraliter igitur insinuat locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos instruxit praeceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus apostolus quod docebat, quando dicebat: *Si quis autem suis, et maxime domesticis non providet, fidem negavit, et est infidelis deterior* (I TIM. V, 8). Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filiis? Huius itaque saluberrimi precepti ipse magister sanctorum de seipso constatuebat exemplum, quando non ut famulae Deus quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de qua creatus fuerat et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat: ait enim Evangelista: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, de se ipso dicens. Sic quippe commemorare se solet, quod eum diligebat Iesus: qui utique omnes, sed ipsum prae ceteris et familiariter diligebat, ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret (IOANN. XIII, 23); credo ut istius Evangelii quod per eum fuerat praedicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

3029 Sed in quae sua Ioannes Matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat qui dixerunt ei: *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te* (MATTH. XIX, 27). Sed ibi quoque audierat: Quicumque ista dimiserit propter me, accipiet in hoc saeculo centies tantum. Habebat ergo ille discipulus centupliciter plura quam dimiserat, in quae suscipere

ret eius Matrem qui illa donaverat. Sed in ea societate beatus Ioannes receperat centuplum, ubi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia: sicut in Apostolorum Actibus scriptum est (ACT. IV, 32). Sic enim apostoli erant, quasi nihil habentes et omnia possidentes (II COR. VI, 10). Quomodo ergo Matrem magistri et Domini sui discipulus et famulus accepit in sua, ubi aliquid suum nemo dicebat? An quia paulo post in eodem libro legitur: *Quotquot enim possessores praediorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et ponebant ad pedes apostolorum: distribuebatur autem unicuique prout opus erat* (ACT. IV, 32-35), intelligendum est sic distributum fuisse huic discipulo quod opus erat, ut illic etiam beatae Mariae tantquam Matris eius portio poneretur; magisque sic debemus accipere quod dictum est, *Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua*, ut ad eius curam quidquid ei esset necessarium pertineret? Suscepit ergo eam in sua, non praedia, quae nulla propria possidebat; sed officia, quae propria dispensatione exsequenda curabat.

Deinde subiungit: *Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum, illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum* (IOANN. XIX, 28 s.). Quis potest quae facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste quae passus est? Sed homo mediator Dei et hominum, homo de quo praedictum legitur, Et homo est, et quis agnoscat eum? (PSAL. CXXI, 5) quoniam homines per quos haec fiebant, non agnoscebant hominem Deum. Homo namque apparebat qui Deus latebat; patiebatur

haec omnia qui apparebat, et idem ipse disponebat haec omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quae oportebat ut fierent antequam acciperet acetum et traderet spiritum: atque ut hoc etiam consummaretur quod Scriptura praedixerat, *Et in siti mea potaverunt me aceto* (PSAL. LXXIII, 22). Sitio, inquit, tamquam diceret: Hoc minus fecistis, date quod estis. Iudaei quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum; et tamquam de pleno vase, de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut spongiam, cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus: quam circumdederunt et se circumvenisse putaverunt. Unde est illud in Psalmo: *Asperges me hyssopo, et mundabor* (Ibid. I, 9). Christi namque humilitate mundamur; quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis, non utique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.

3031 Nec moveat quomodo spongia ori eius potuerit admoventi, qui in cruce fuerat exaltatus a terra. Sicut enim apud alios Evangelistas legitur, quod hic praetermisit, in arundine est factum, ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem vero Scriptura significabatur, quae implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel graeca vel latina, vel alia quaelibet sonum significans, qui lingua promitur; sic arundo dici potest littera, quae arundine scribitur. Sed sonos significantes vocis humanae usitatissime dicimus linguas: Scripturam vero arundinem dici, quo minus est usitatum, eo magis est mystice

figuratum. Faciebat ista populus impius, patiebatur ista misericors Christus. Qui faciebat, quid faceret nesciebat: qui patiebatur autem, non solum quid ferret et cur fieret sciebat, verum etiam de male facientibus bene ipse faciebat.

3032 Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: *Consummatum est*. Quid, nisi quod propheta tanto ante praedixerat? Deinde quia nihil remanserat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret, tamquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (IOANN. X, 18), peractis omnibus quae ut peragerentur expectabat, *Inclinato capite tradidit spiritum*. Quis ita dormit quando voluerit, sicut Iesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exiit quando voluit? Quis ita cum voluerit abire, quomodo cum voluit obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis!

3033 Posteaquam Dominus Iesus, peractis omnibus quae ante suam mortem peragi oportere praesciebat, quando voluit tradidit spiritum, quae deinde secuta sunt, Evangelista narrante videamus. *Iudaei ergo, inquit, quoniam parasceve erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerent eorum crura, et tollerentur*. Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, et auferrentur ex ligno: ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diurni cruciatus horrore foedarent.

3034 *Venerunt ergo milites, et primi quidem frangerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non frangerunt eius crura: sed unius militum lancea latus eius aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua* (IOANN. XIX, 31 ss.). Vi-

gilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed, *aperuit*: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperat poculum; hæc et lavacrum præstat et potum. Hoc prænuntiabat quod Noe in latere arcae ostium facere iussus est (GEN. VI, 16), qua intrarent animalia, quæ non erant diluivio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita materque vivorum. Magnum quæppe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei coniux, quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

3935 *Et qui vidit, inquit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius: et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis* (IOANN. XIX, 35). Non dixit, ut et vos sciatis; sed *ut credatis*: scit enim qui vidit, cuius credat testimonio qui non vidit. Magis autem ad fidem credere pertinet quam videre. Nam quid est aliud credere, quam fidem accommodare? *Facta sunt enim hæc, inquit, ut Scriptura impleretur: Os non comminetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem confixerunt.* Duo testimonia de Scripturis reddidit singulis rebus, quas factas fuisse narravit. Nam quia dixerat: *Ad Iesum autem cum venissent, ut viderant eum iam mortuum, non fregerunt eius crura,* ad hoc pertinet testimonium: *Os non comminetis ex eo*: quod præceptum est eis, qui celebrare Pascha ius-

si sunt ovis immolatione in veteri lege (EXOD. XII, 46), quæ Dominicæ passionis umbra præcesserat. Unde *Pascha nostram immolatum est Christus* (I COR. V, 7): de quo et Isaias propheta prædixerat, *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (IS. LIII, 7). Item quia subiunxerat dicens: *Sed unus militum lancea latus eius aperuit, ad hoc pertinet alterum testimonium, Videbunt in quem confixerunt* (ZACH. XII, 10): ubi promissus est Christus, in ea qua crucifixus est carne venturus.

3936 *Post hæc autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathea (eo quod esset discipulus Iesu, oculus autem propter melum Iudæorum), ut tolleret corpus Iesu: et permisit Pilatus. Venit ergo et tulit corpus Iesu. Venit autem Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte primam, ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum* (IOANN. XIX, 38, 39). Non ita distinguendum est, ut dicamus, *primum ferens mixturam myrrhæ*; sed ut quod dictum est, *primum*, ad superiorem sensum pertineat. Venerat enim Nicodemus ad Iesum nocte primam, quod idem Ioannes narravit in prioribus Evangelii sui partibus (Ibid. III, 1, 2). Hic ergo intelligendum est ad Iesum non tunc solum, sed tunc primum venisse Nicodemum; ventitasse autem postea ut fieret audiendo discipulus: quod certe modo in revelatione corporis beatissimi Stephani fere omnibus gentibus declaratur. *Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Non mihi videtur Evangelista frustra dicere voluisse, *sicut mos est Iudæis sepelire*. Ita quippe, nisi fallor, admonuit in huiusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse servandum.

3937 *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat* (Ibid. XIX, 41). Sicut in Mariæ Virginis

utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. *Ibi ergo propter parasceven Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Acceleratam vult intelligi sepulcrum, ne advesperasceret; quando iam propter parasceven, quam coenam puram Iudæi latine usitatus apud nos vocant, facere tali aliquid non licebat.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, TOM. III, SERM. 45.)

3938 **S**QUERITUR videre de tertiliis follis, quæ sunt de amore interno undante, amore negato; quia illa nocte nunquam dimiserunt eum quiescere, et interim usque ad crucem Christus Dei Filius nunquam quievit. Et levando ipsum a columna ligaverunt illi manus, et circumdederunt collum rudi et crasso capistro, et vincum sic conduxerunt ipsum ad domum Pilati undique flagellatum, et ob sanguinis fluxiones et emissiones languidum ac deficientem. Pilatus vero examinato Christo, videns quod per invidiam tradidissent eum, et audiens quod *Gallileus esset*, ut se a iudicio proferendo liberaret, misit eum ad Herodem, qui *Ierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gævisus est valde; erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audierat multa de illo, et sperabat si quam aliquod videre* (LUC. XXIII), et hoc faciebat propter vanitatem; et Iesus multis sermonibus interrogatus, *Nihil respondebat ei. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illius indutum veste alba, et remisit ad Pilatum in modum unius fatii, et facti sunt amici Herodes, et Pilatus ex illa die; nam antea inimici erant ad invicem.* Et Pilatus examinato Iesu dixit: *Ego nihil inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.*

3939 Sed neque Herodes et Pilatus consideravit, si flagellaret Christum, ut Iudæi mitigarentur, et iussit eum ligari ad unam columnam, et sic denudatus fuit, totus caesus et flagellatus; et in nulla sui corporis parte remansit intactus. Ita quod undique pluebat sanguinem; et tunc iussit Iesum duci et dicitur turbis: *Ecce correximus eum; emundatum ergo illum dimittam* (IS. XXIII).

3940 Et videns Pilatus, quod nihil prodesset, proposuit sibi aliam viam relaxandi eum: *Necessè autem habebat dimittere eis per diem festum unum vincunt, et dixit turbis: Quem vultis dimittam*

Iesum, an Barabam? et illi crudelissimi clamaverunt volentes Barabam, qui, propter seditionem quandam factam in civitate, et homicidium, fuerat missus in carcerem, et tenebant Christum pro nequissimo, qui erat Salvator omnium crediturum. Iterum autem Pilatus volens experiri num posset liberare Iesum: Locutus est ad illos, volens dimittere Iesum. At illi clamabant dicentes: Crucifige.

3941 Considera, anima, tuum Redemptorem et vindicem peccatorum passum se castigari a Pilato, qui voluit tantum verberibus affici ipsum, quod compassione ducti consentirent ad dimissionem illius, et ut illius vitæ parcerent. Sed diabolus intraverat in illos, et erant ita indurati, quia licet viderent eum totum plagatum per faciem, et per totam personam, sicut describit eum Isaias Propheta, LIII cap., dicens: *Vultus noster, et in eo non apparebat ulla species, neque decor*, nullatenus fuerunt mites effecti.

3942 Petrus vero, qui viderat, Iesum deludi et cruciari in domo Pontificis, dum secutus fuisset Iesum et staret ad prunas, sicut prædixerat Christus: *Ter negavit eum prius quam Gallus cantaret*, et sic abnegando, et periurando quod non noverat hominem, Christus respexit eum, et tunc *Petrus recordatus est verbi Domini*, et quod ipse patiebatur illas derisiones propter suam culpam, ut eum redimeret a manibus diaboli, et quod ipse Petrus non staret promissis, quia dixerat (LUC. XXIII): *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo; exiit foras et flevit amare agens poenitentiam.*

3943 Considera etiam, anima, cum quanto furore Pharisei adduxerunt Iesum ad Pilatum dicentes, quod fecerat se regem; et induerunt eum una veste purpurea, non ad decorem, et honorem, sed ad irrisionem et cavillationem et ad vituperium, et coronaverunt eum corona spinea, et uno linteo velaverunt oculos, sicut quando aliquis dicitur ad iustitiam. Et secundum Bernardum, spinæ illius coronæ fuerunt ita acutæ quod pertransierunt usque ad cerebrum; et tu, o foemina vana, vis facere de capillis alienis coronam diabolo; quia omnis capillus alienus, quem portas, est una spina Christo. Et tantus flebat sanguis ex capite, ut obturaret oculos qui non poterat videre; nec tergere illos sanctos oculos poterat, quia habebat manus ligatas. Die ergo, tu, o mulier, quum aptas tibi caput, num habes in reverentia illam coronam spineam Iesu Christi?

3944 Quarta alia duplicata folia sunt amor se demonstrans, et amor sententiatius; quia non erat membrum, neque pars membri a summo capite usque ad plantas pedis, quæ non foret laesa et cruciata,

et illa percussus, sputis delusis, et coronatus fuit hanc innotuit demonstratus per Pilatum; ut superior dictum est.

- 3045 Et Virgo benedicta tota anxia iam venerat, et quom Pilatus ostenderet ipsum populo dixit: *Eccc homo*, et tunc benedicta Virgo super omni eius membro plangebat et lamentabatur dicens: O Fili mi coronate in caelo, tu es in mundo ita virtute-ratus! O oculi inigeniti Filii mei, qui illuminant totum mundum, qualiter estis caligine sanguinis tenebrati! Et credo quod oculi Christi reverberati sint cum oculis beatissimae eius Genitricis, qui vix poterant eum videre propter sanguinem discurrentem ex torrente capitis sui, sed audiebat pias voces Virginis proclamantis: O manus salu-tificae, quae plasmatis hominem, quem permis-sis per has creaturas ligari! Et credo quod pesi-mi illi canes Iudaei expellebant eam dicientes illi multa opprobria et contumelias. Et credo quod Maria Magdalena, quae comitata erat Matrem Do-minum, videns eius magistrum ita deludi, et verbe-ratum, cooperit magna voce clamare: O os glo-ri-simum, quod tam sanctam doctrinam praedicasti, et me a manibus diaboli liberasti, quomodo per-fidi Pharisaei potuerunt pati tam decoram speciem vituperare? nam tu me peccatricem ab omni culpa liberasti. Et credo quod lamentando et gemitu ipsa dederit adeo, quod examinata in terram ce-diderit.

- 3046 Tunc vero durae voces Pharisaeorum cooperunt clamare magis: *Crucifige, crucifige eum*. Et tunc Virgo beata elevans oculos ad sidera dicebat: Pa-ter, non sinas Filium meum mori prius quam me.
- 3047 Pilatus vero, volens populo satisfacere, lotis ma-nibus, dimisit eis Barabam, et tunc lata fuit cru-delis sententia per Pilatum: *Et tradidit eis Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur* (MATTH. II). Et Virgo Mater Dei clamabat, dicens: O Fili mi, oro te quatenus velis me trahere ad te, ut tecum pa-riter crucifigam in patibulo crucis!

- 3048 Sequitur aliud quintum duplicatum folium, vi-delicet, amor crucem portans, amor angustiatius; nam posuerunt super sanctis humeris suis ingen-tem crucem, sine aliqua compassione, ad eius mai-orem derisionem. Et beata eius Genitrix hoc videns alta voce clamabat: Fili mi, vita mea, qui das vi-tam non habentibus vitam, miserere tuae miseri-mae Matris, ut patiaris ipsam tecum pariter cru-cifigi, ne ita sola orbataque remaneat. Et illi per-fidi ducebant ipsum per civitatem et per viam lon-giorem, ut maior afflictio et dolor adhaereret passo. Et Virgo dolorosa ivit currendo per mediam et breviter viam, et ut videret Filium suum poenis afflictum. Iudaei ipsum fune ad collum tamquam publicum latronem ducebant per civitatem semper

cum illa ponderosa cruce super humeris suis, et hanc iniuriam potius ei, quam aliis duobus latro-nibus faciebant. Et Christus incedens vix incur-vatus et anxius, non poterat ultra crucem portare; et tunc angariaverunt, et Simonem cooperunt, et dederunt illi crucem, scilicet, Simoni Cyrenaeo, ut citius expediret suum malum propositum, ne forte interim Pilatus posset poenitere sententiae latae ad mortem.

Sextum folium duplicatum, videlicet, amor Ma-riam inspiciens, amor debilitatus; unde B. Virgo Maria posuit se super uno angulo, et videns suum dilectissimum Filium lividum, cuius non erat as-pectus neque decor, ille occurrit, et dolor Matris reverberatus in corde Filii ita scidit eius cor, ut ceciderit in terram, et similiter contra dolor Filii reverberatus in corde Matris ita penetravit eius intima, ut prolapsa fuerit in terram, et Magdalena, et Maria Iacobi minoris, et Ioseph, et Salome, quae sequebantur eum, dolentes acriter flebant; et sic existente in terra mortificata, credendum quod illi peridi Iudaei calcabant eas pedibus, et a qui-busdam eorum vim et iniuriam, ab aliis atrociora patiebantur. Et tandem violenter et crudeliter relevantes eum duxerunt ipsum cum multis iniu-riis et blasphemis usque ad montem Calvariam.

Sequitur septimum folium duplex, quod dicitur amor totus inflammans, amor crucifixus. Meditare quod quum fuerit in loco, qui dicitur Golgotha, quod est interpretatum *Calvariae locus*, super uno scopulo aliqui foderunt lapidem ubi posuerunt cru-cem, et cum rabiae, furoris, et clamore posuerunt crucem in illa petra, quae est altare nostrae re-demptionis, et credo quod posuerunt tres scalas ad crucem, videlicet, unam ad pedes, et fecerunt Christum ire retro super illa scala, sicut fures, qui suspenduntur, nudatum vestibus suis, sicut exiit ex utero matris, et tunc postquam ascendit scalam illam apertis brachiis ostendit se mundo.

O munde excaecate, eleva mentales oculos, et vide solem qui incipit apparere, et appropinquare tuo Redemptori. Et credo quod aperiendo brachia clamabat, dicens: *O vos omnes, qui sinitis, venite ad me, et ego reficiam vos*, (IOHANS. IV. VII), quia volo hominibus credentibus parere. Venite, ergo, *Venite ad me qui onerati estis, et ego reficiam vos!* (MATTH. XII). Pater mi, volo subire mortem pro sa-lute totius humani generis; configite ergo me; et petit gratiam a Deo quod inscriberentur in suis brachiis quinque litterae, quae dicant: Amor, amor, amor, amor, amor.

Et posuerunt illas duas scalas retro crucem sin-gulo brachio, unam ad brachium dextrum, et aliam ad sinistrum, et comprehensis brachiis, et extensis super ligno crucis, transverso acceptis clavibus, et

malleo incoeperunt conclavare dignissimas eius manus durissimis ictibus; et Mater gloriosa audiens illos impios ictus alta voce clamabat: *Configite me, o Iudaei, pariter cum meo Filio innocente!* Et ille clamor percussio-num penetrabat illius cor; et veniens se conquerebatur versus discipulos, qui ibi aderant. Deinde, clavata prima manu, conclavaverunt aliam manum, et confixis manibus eleva-verunt scalam de subis pedibus Christi, et dimi-serunt sic eum pendulum, et traxerunt eum ita confixum, et ille sic pendens in cruce figurabat serpentem, qui fuit appensus in deserto, quem morsi a serpentibus aspicientes liberabantur. Unde tu, o anima, quae es tribulata, respice hunc serpentem, qui pro te voluit ita viriliter pendere et mori in ista cruce, et conforta te in eius passione; quia liberabit te. Deinde confixerunt etiam pedes, et sic fuit adimpleta illa prophetia David, qui dicit, (PSAL. XXI: *Foderunt manus meas et pedes meos et dimmeraverunt omnia ossa mea.*

Sequitur octavum folium geminatum, quod dicitur amor sanguinem versans, amor tricoloratus. Ecce, confixo Christo, sanguis fluebat per manus et pedes, et tamen Magdalena vadit ad lignum salu-tificae crucis ad pedes Christi, et elevatis mani-bus non poterat eius pedem iungere. Ecce primus color Magdalene rubeus, posse iungere monitis; ecce secundus, quia triumphum et tunc possidens. Sic clamabat ad omnes existentes in mundo, scilicet, pueros, iuvenes et senes, dicens: Christiani, quum exaltatus fuero, omnes traham ad me; nunc ergo exaltatus sum in cruce, ut omnes contem-plantur in me. Contemplantur, ergo, anima Deum tuum Creatorem et Redemptorem; et considera, quia pro tua salute in cruce confixus fuit, et ideo sequere eius doctrinam, ut te trahat ad se.

Et crucifixerunt alios duos latrones, unum a dextera, et alium a sinistra, et tunc Iudaei, et Pha-risaei, Matth. xxvii, *Blasphemabant eum dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in tribus die-bus aedificas illud, salvum fac temetipsum, descende de cruce. Similiter summi sacerdotes illudentes ad alterutrum eum scribis dicebant: Alios salvos feci, se ipsum non potest salvum facere; Christus, si rex Israel est, descendat nunc de cruce, ut vi-deamus et credamus. Et diviserunt vestimenta eius; et Mater Domini cum Ioanne adhaeserunt cruci, et ibi contemplantur Iesum.*

Sequitur nonum folium geminatum, scilicet, amor alte clamans, amor vita privatus. Et ut possis hoc folium amoris bene contemplari, nota quod Chris-tus clamavit septem clamores, et omne verbum

illorum septem, quae protulit, fuit una flamma ar-dentis amoris. Prima flamma fuit parcens; secunda flamma fuit contemplan; tertia flamma fuit trans-formans; quarta flamma declarans; quinta amor sitiens; sexta amor deficiens; septima flamma amor recommittens.

Dico, quod prima flamma fuit parcens. Dico te, o peccator, qui non vis parcere aliis iniuriis tibi illatis; intellige suum primum verbum amoris in-flammatum, quia primo Christus efficitur excusator, et defensor persecquentium se, et oravit pro te peccatore, qui ipsum vides cruce affixum mente; et effectus fuit tunc noster advocatus, dicens, Luc. xxiii: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Vadit tamquam ad Patrem, non tamquam ad iudicem, accusando et petendo vindictam, et punitionem; sed tamquam excusator, et advocatus, et simplex filius, quia volebat propter eos miseri-cordiam, et dicit: *Dimitte, et non dicit, considera culpam illorum, qui me crucifixerunt, et fecit tura. Quia primo ipse petiit; secundo excusavit eos; tertio orat Patrem pro eis, quasi dicit: licet coram in-iquitatis requirant iustitiam severam contra eos, tua misericordia est tanta, quod ad ea non advertat, sed quasi currentibus oculis pertranseat; et dicit omnibus peccatoribus, quia me non cognoscunt, et nesciunt quid faciunt, iuxta illud Pauli: *Si cognovissent eum, non interfecissent; et allegat eorum ignorantiam. Vult dicere, sunt homines, et adhuc potes eis parcere, iuxta illud: Affectio Domino vos filii Dei super aquas?**

Secundus sermo, seu secundum verbum Christi in cruce fuit amor condonans; et considera mira-bilem amorem, quem Christus ostendit versus latro-nem, qui erat ad dexteram Christi, dum dixit: *Memento mei, Domine, quum fueris in regno tuo* (Luc. xxiii). Et Christus vertens se versus latro-nem, dixit: *Amen dico tibi, hodie eris mecum in Paradiso*. O vos sodomitae, o usurarii, et tu o foemina vana, aperite oculos vestri intellectus, et considerate, quia datur in hoc instanti regnum coe-lorum latroni, qui toto tempore vitae suae mala operatus fuerat; et primo datur latroni et peccatori quam alteri personae, ad significandum quod Christus subibat mortem pro salute peccatorum, et quod ipse erat ostium, per quod oportet ingredi paradisi; et primo aperuit illud ostium latroni per medium fidei, quia credidit, dicens: *Domine, memento mei*, etc. et nota septem verba. Primum fuit: *Amen*, hoc est, in veritate, quia iuravit *Do-minus et non possibit eum*, (PSAL. CIX). Dico, ergo Deus verbum pietatis. *Tibi*, scilicet, peccatori,

¹ Propositio sat obscura.

² Propositio obscura.

cui parco cum tanto dolore, et charitate. *Hadie*, est tempus brevitatis. *Mecum*, est verbum dulcissimae societatis, quia maiestas divina passa est comitem habere unum latronem; tantus erat amor, quem deferrebat humano generi! et ipse latro non poterat habere meliorem societatem. *Eris*, est verbum firmæ certitudinis. *In Paradiso*, est verbum utile iucunditatis, et beatitudinis.

3058 Et nota bene, quia non videbis in tota Scriptura septem verba tantæ dulcedinis et efficacæ. Et non est mirandum si Deus dedit tantam gratiam huic latroni, quia est de maioribus sanctis paradisi, excepta Virgine gloriosa, eo quia [tunc] ipse solus habuit plus fidei quam omnes alii Apostoli, et quoniam aliqua alia creatura, excepta beata Matre Dei; quia Petrus negat Christum in terra, et latro Christum confitetur in cruce, et sanctissima Virgo reservavit fidem in mente; unde fides remansit postea in sola Virgine, quia in omnibus aliis [quas] perdidit fuit ita, quod post Virginem sola fides erat in latrone; quia ipse solus credidit Christum Filium Dei. Similiter spes, post Virginem, sola remansit in latrone; nam Petrus ex se fuisset in desperationem devolutus, nisi postea audisset Christum resurgere, etc. Similiter in latrone supervenit fervida charitas, quia quando audivit quod Christus promisit illi vitam æternam, et intelligens poenas inferni, quas intrare debebat, et perpetuo inhabitare, et contemplantur paradysum, ubi est summa beatitudo indeficiens, fuit accensus ardore tantæ charitatis, quod cum corde ipsam amabat, et in cruce defendebat eum cum lingua dicendo firmiter Christum Filium esse Dei et dicendo versus alium latronem eius consocium: *Nos quidem digna patimur; hic autem, quid mali fecit?* (Luc. xxiii). Nam primo confitetur se esse peccatorem, dicens: *Digna se pati*, et reddidit se in culpa; secundo defendit eum super cruce confitendo ipsum esse iustum, et innocentem. Tertio ad proximum se vertens eum corripit dicens: *Nec tu times Deum*; quarto se volvens contra Christum dixit: *Memento mei, Domine, quoniam veneris in regnum tuum*, petens quod eius spiritus esset sibi commissus in eius regno.

3059 Unde nota, bene ista verba latronis, quia in tota sacra pagina tu non reperies peccatorem cum talibus, et tam efficacibus, et substantialibus verbis petere gratiam a Deo post Virginem Mariam, quia in illo verbo latronis includuntur Fides, Spes, et Charitas; amor sui, Dei, et proximi, et virtutes cardinales. Nonne apparet fides in latrone quia solum in ipso et Beata Virgine remansit et nulli alii [ita tunc] crederunt. Tunc apparuit etiam spes in ipso, quia videns Christum ab omnibus spectum, delusum, in cruce pendentem, mortem damnatum,

summa cum spe se eidem commisit, dicens: *Memento mei, Domine*. Charitas etiam apparuit in hoc, quia dixit: *Memento mei, Domine*, propter amorem, quem cognovit Christum deferre sibi, et aliis peccatoribus, quia pro eis moriebatur; quasi dicit: Tu tantum amas me, quod sufficit quod tu habeas memoriam mei; quia hic non petit potentiam, neque divitias, neque aliquid aliud, nisi quod recordetur sui.

In illis verbis latronis etiam virtutes quatuor cardinales comprehenduntur, et primo prudentia, quia non quaesivit vitam temporalem, sed solum memoriam sui. Item fortitudo, quia latro ipse pendens in cruce in tormentis obliviscitur suorum tormentorum, et adhaeret tantum Deo, et voluntati Divinae, quia non petit se liberari ab aliis poenis in praesenti vita; sed praehens se conformem voluntati divinae, dicit sufficere sibi quod recordetur sui in futuro regno. Item temperantia, quia non dicit, fac me beatum, sed petit illud quod placet ipsi Deo quum dicit: *Memento mei*. Item iustitia denotatur in hoc, quod dicit: *Nos quidem digna patimur*, quia iustitia requirit, ut propter nostra scelera digna patiamur, dicendo de se et eius proximo, se culpando, et etiam in eo quod defendit Christum eum iustitia ipsum excusando, *hic enim nihil mali fecit*.

Propter quæ Christus ei donavit quinque privilegia, quæ aliis non donavit. Primum privilegium fuit, quia mortuus simili morte, et in eo loco, et eo modo, quibus Christus mortuus fuit, sed si tu diceres: Iste latro mortuus fuit propter sua peccata, et digne, sed non ita Christus; respondeo tibi, quod amor fecit convertere eius latronis animam in tantum, quantum prius fuerat nequam et perversa, in tantum, quod omnia eius peccata conversa fuerant in maximo fervore charitatis, quod sicut fierat prius sagax, pravus, et subtilis furando res mundanas, ita fuit fervidus capiendos res divinas. Secundum privilegium, quia ipse latro solus plus compassus fuit Virgini gloriose, quam aliqui alii; quia alii comitati sunt Christum [quodammodo] tamquam hominem, ipse latro, tamquam verum Deum, et hominem, et ideo compatiatur ei tamquam Matri Dei et veri hominis. Tertium privilegium, quia nulla repressus est in passione Christi, qui publice praedicaret nomen Christi praeter furem, et excusaret eum, at incensaret Pharisæos, nisi ipsum solum, secundum aliquos doctores, quia ipse increpabat eos profrendo, et praedicando Christum esse verum Dei Filium, et innocentem. Quartum privilegium, quia latro fuit primus qui tempore vindictæ gratiarum Christi, peteret gratiam a Christo. Quintum privilegium fuit, quia nunquam fuit aliqua creatura, quæ

melius et verius significaret animas peccatorum redemptas, et salvatas per gratiam, quam ipse latro.

3062 Tertium verbum quod fuit ex ore Christi prolatum in Cruce, est amor transformatus, quia videns eius beatissimam Genitricem totam poenosam, afflictam, et transformatam, inquit, humili voce sua: *Mater, ecce Filius tuus*; et discipulo: *Ecce Mater tua*. Considera, anima, quantum fuit ille dolor Virgini gloriose, considerando qualem permutationem sustineret capiendos creaturam pro Filio rerum omnium Creatore, servum pro Domino. Sed ipsum pro suo filio accepit, ex quo vidit ita esse Filii voluntatem, cui semper erat conformis, et ista fuit vox Dei intercedentis famam ad plantandum cor Virgini, quia Iesus interpretatur fons gratiæ, quod significat, quod omnis anima devota tunc efficta fuit filia B. Virgini Mariæ, et sic exinde Virgo accepit eum in suum, et ipse eam in suam Matrem.

3063 Quartum verbum fuit amor declarans, quum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ac si diceret: Tu permittis, et vis me mori ut salvetur humana natura; in quo declaratur amor, quem nobis demonstravit, iuxta illud, Math. xxvii: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*.

3064 Quintum verbum, quod in cruce protulit, Christus, est amor sitiens, quum dixit: *Sitio*, quasi dicit: O anime meæ, redemptæ propter meam exaltationem, venite ad me, et incorporemini mihi, quia adimpletur quod scriptum est de me: *Quum exaltatus fuero, omnia traham ad me* (IOANN. xii). Unde sitio, ac si dicerem: Tanta est sitis mihi trahere ad me humanum genus propter amorem et ferventem charitatem quam illi gero, quod si oportet me subire infinitas mortes, scilicet, pro omni peccatore unam mortem, et pro omni peccato iterum crucifigi, ex pro omni præmio peccatoris, ut salvaretur, ego vellem facere; quia: *Sicut ceruus sitiens ad fontes aquarum*, etc. (PSAL. xli). Unde tu, o anima sitiens, sequere istum amorem Christi Creatoris, sicut ipse secutus est versus te, quia sponte subivit mortem pro tua salute.

3065 Sextum verbum est amor consummatus, dum dixit: *Consummatus est* (IOANN. xix). Nam omnis actus Christi indicabat unum actum infiniti meriti animarum electis, secundum illos, qui debent salvari. O felix illa anima, quæ includit in hunc verbo: *Consummatus est*; [quæ redemptionis meritum non frustravit]; et bene consummatus est, scilicet, in persona Christi, scilicet, Scripturæ et Prophetiæ iam consummatae sunt in Christo, Sanguis meus iam consummatus est, miracula et signa amoris iam consummata sunt in

me, iniuriæ mihi factæ iam consummatae sunt in me, qui omnino sum oblitus iniuriarum, verborum et lamentationum, dolorum, tormentorum, irrisionum et opprobriorum in mea persona illatorum, et factorum, quia *vox Domini confringens cedros*, id est, superbos.

3066 Septimum verbum Christi est amor commendatus, qui tamen omnis consummationis vidit finem Domini nostri. Iesus Christus ardens amore voluit caput suum sanctissimum versus partem dexteram vertere, ut facilius faciem Virgini Genitricis aspiceret, et sic volvit caput versus peccatores erga ipsos clamando, et oculos versus Patrem eum lacrymis, et voce magna, clamando (Luc. xxiii): *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, et inclinato capite, emisit spiritum*.

3067 Decimum solum duplicatum est amor alta voce clamans, amor mundo nonstratus, quia Beatiſſima Virgo, videns hoc fuit transiſta gladio, et cogitavit quod tunc foret adimpleta prophetia Simeonis, dum dixit in templo, quod Christus esset unus gladius penetrans cor eius, et tunc totus mundus coepit vociferare et signa ostendere de isto immenso amore summi Creatoris, quem detulit humano generi, quia omnis creatura ad utilitatem humani generis clamando ostendit clare istud immensum amorem universo orbi terrarum; nam coelum incepit clamare de hoc amore; quia sol se obscuravit, et *Tenebræ factæ sunt super terram*; infernus clamando obturavit et clauditur; lapides cum magno strepitu scinduntur et confringuntur. Unde Beata Virgo una cum sole, durissimis lapidibus, et tota machina mundi ciulabat de isto ad pællum ligato amore, indicantis signa dolorum ex passione Christi; quia quum esset iustissimus, portabat languores nostros et dolores, quos nos pati debebamus pro peccatis propriis nostris, exceptis crudelissimis animabus, quæ non plangerunt neque compassæ sunt morti Iesu Christi, neque clamaverunt de tanto divino amore.

3068 Inde venit undecimum solum duplicatum. Amor cor feriens, amor pallidus, quia postquam Christus emisit spiritum, eius corpus remansit pallidum, et ita sol fuit obscuratus, et terra tremuit, et *velum templi scissum est*. B. Virgo contemplando Filium et videndo ipsum mortuum flebat præ nimio dolore, et tunc eius cor pertransiit gladius.

3069 Duodecimum solum duplicatum, amor cor fruens, amor tumulatus. Tunc venit turba ut frangerent crura latronibus, et Virgo glorioſa putans quod vellet etiam rumpere tibias Christo, genuflectens se coram eis incepit denuo plangere orando ipsos, ne frangerent illi crura. Tunc miles unus, Longinus nomine, cum una lancea, aperuit latus

Christo; et exinde exiit sanguis, et aqua (IOANN. XIX), et tunc beata Mater Dei fuit transfixa, et novus dolor ex illa apertura iterum penetravit cor et animam Matris gloriosae atritam gladio; et sic Mater Domini, Ioannes, et Magdalena cum his, qui secum erant, inaeperunt voces quasrulas, et novos placent facere.

SABBATO SANCTO

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XXVIII, 1-7.

VESPERE autem sabbati, quae lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.

2. Et ecce terrae motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de caelo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum:

3. erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix.

4. Prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis:

6. non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus.

7. Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit: et ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH. CAP. XXVIII.

3070 **V**ESPERE autem Sabbati quae lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Quod diversa tempora istarum mulierum in Evangelii describuntur, non mendacii signum est, ut impii obiciunt, sed sedulae visitationis officium, dum crebro abeunt ac recurrunt, et non patiuntur a sepulcro Domini diu abesse vel longius.

3071 *Et ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de caelo, et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix.* Dominus noster unus atque idem Filius Dei et Filius hominis, iuxta utramque naturam, divinitatis et carnis, nunc magnitudinis suae, nunc humilitatis si-

gna demonstrat. Unde et in praesenti loco, quamquam homo sit qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus tumulo, quem lapis oppositus cohibet, tamen quae foris aguntur, ostendunt Filium Dei, sol fugiens, tenebrae ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa disrupta, mortui suscitati, angelorum ministeria, quae ab initio nativitatis eius Deum probant. Ad Mariam Gabriel venit, cum Ioseph angelus loquitur (Luc. I, 26; MATTH. I, 20), idem pastoribus nuntiatur, angelorum postea auditur chorus dicentium: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. II, 10, 14). Tentatur in solitudine, et post victoriam statim servituti angeli (MATTH. IV, 11). Nunc quoque angelus venit custos sepulcri Dominici, et in vestitu candido signat gloriam triumphantis. Necnon ascendente ad coelos Domino, duo angeli in Oliveti monte cernuntur, pollicentes apostolis secundum Salvatoris adventum (ACT. I, 11).

3072 *Prae timore autem eius, exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quaeritis: Non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Custodes, timore perterriti instar mortuorum stupefacti iacent, et tamen angelus non illos, sed mulieres consolatur. Nolite timere vos. Illi, inquit, timeant: in his perseveret pavor, in quibus permanet incredulitas. Ceterum vos quia Iesum quaeritis crucifixum, audite quod resurrexerit et promissa perfeceat.*

3073 *Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis eius. Ut si meis verbis non creditis, vaeuo credatis sepulcro, et gradu concito pergite ac nuntiate discipulis eius: Quia surrexit, et ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis. Hoc*

est in volutabrum gentium, ubi ante error erat et lubricum, et firmo ac stabili pede vestigium non ponebat.

Varia de Sepultura Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSI, VOL. III, SERM. 43.)

3074 **I**OSEPH ab Arimathaea tulit corpus Iesu (IOANN. XIX). Postquam omnia quae audistis peracta de Iesu Salvatoris morte, turba inde recessit, dimisso Christo in cruce affixo, relicta Virgine gloriosa at tunc dolorosa, cum Ioanne, Magdalena, et paucis aliis secum.

3075 Considera, anima devota, quantos qualesve clamores, et quaerelas, anxietates, lacrymas et dolores ibi faceret B. Virgo, et Magdalena cum aliis, etc. Et inde Mater Dei aspiciens Filium benedictum quaerula voce clamabat: Filii, qualiter potero te evellere de illa cruce, ut possem te tantillum tangere, Fili mi, etc. Aspiciens vidit venientes Ioseph et Nicodemum, et illico renovando, et mittendo lacrymas, et dolores asperissimos ad invicem deposuerunt ipsum de cruce adorando prius ipsum tanquam Filium Dei vivi, et deponendo ipsum.

3076 Erant tres scalae ad evellendos illos ingentes clavos, duae scalae erant retro ab utroque latere, et una a pedibus, et Ioseph ascendit ad unam scalam et evulsit clavum unius manus, et illum dat secreto Ioanni, ne Virgo illum videret, quia beata Virgo contemplabatur aspiciendo eius beatam faciem totam discoloratam, et manum Christi pendente quae latus eius tangebatur, deinde evulsit secundum clavum alterius manus, et similiter ipsum porrexit discipulo, et corpus Christi brachiis Ioannis apostoli, qui erat de subitus, et ascendens scalam pedibus positam extraxit illum clavum, et tunc ipsum deposuerunt.

3077 Beatissima eius Mater coepit eum, osculando eius caput, vultum, manus, et omnes plagas, dicendo cum duris lacrymis, et lamentationibus inspicendo oculos eius: Quis vos privavit lumine, qui mundum totum illuminastis, iuxta illud: *Ego sum lux mundi?* Similiter dicebat: O sacratissimum os, quod alios docuisti, quomodo es privatum eloquio tuorum sacrarum dogmatum? O manus sempiterni regis quae omnia plasmasisti, quare permisistis creaturas ita sevirere in suum Creatorem? O caput coronatum corona gloriae, qualiter permisisti tam crudeliter istis pungentibus spinis coronari usque ad cerebrum penetrantibus? Et sic de membro ad singulum membrum discurrendo, et flendo conquirebatur

simpliciter postulando, ut Deus eam ab hac vita in meliorem transferret, ut esset cum Christo Iesu Filio suo, ex quo secum vivere non poterat, etc.

3078 Et Maria Magdalena prostravit se pedibus Domini, ipsos osculando, et suis solitis lacrymis balneando et clamando, dicens: O sanctissimi pedes mei Dei et Domini, qui me purgavistis, et mundavistis ab omni peccato, vos docuistis me quo pacto debeam aufergere et exire de manibus diaboli; et sic discurrendo cum multis lamentationibus, et plangentibus super quibus membris corporis Christi faciebat unum placentum pariter cum Ieanne, et aliis ibi adstantibus, et sic contemplando passionem Domini supervenit hora serotina.

3079 Bonum est amodo, ut sepeliamus cum, et Ioseph, et Nicodemus dixerunt Matri Dei: quid volumus facere? hora est vespertina, ne recludamur extra civitatem. Et volebant cum sepelire, ut Virgo Maria posset requiescere, quia illa nocte praecedente nunquam quieverat usque in illam noctem, nec illa die comederat, neque biberat, ita quod erat ita defessa et tabescens, ut vix posset stare; et portaverunt ipsum ad sepulcrum. Tenebat semper Virgo Maria ipsius caput, et Magdalena pedes; et tandem vix posuerunt cum in sepulcro, quod Virgo volebat sepeliri cum eo. Et deposito corpore Christi in sepulcro revolverunt lapidem ad ostium monumenti. Tunc Virgo anxia se volvit ad lapidem, dicens: O lapis, qui tenes mecum unigenitum Filium, utinam me cum eo pariter retineres; sed ex quo me tibi rapiunt isti Ioseph, et Nicodemus, amplectens lapidem illum, inquit: Tu, anima mea, remaneas hic; et tu, intelligentia mea, remaneas hic; et omnis memoria mea, non hinc recedat; sed omnes sensus corporis, et animae meae remaneat cum sociis hic in sepulcro; et solus dolor, gemitus, lacrymarum fons, et anxietas concomitentur corpus meum.

3080 Et inde iuxta eandem recedentes multi dicebant versus Virginem gloriosam: Quanta iniquitas, et iniustitia est hodie tibi facta contra sanctissimum tuum Filium, qui tot et tanta miracula fecit, qui tam bonam doctrinam praedicabat, qui mortuos resuscitavit, qui surdos audire fecit, qui caecos illuminavit, etc.

3081 Et Nicodemus et Ioseph volebant ipsam ducere ad domum suam et cum grandissimis placentibus recedens ab eis, deliberavit ire, et ivit cum Ioanne et Maria Magdalena ad montem Sion semper incessu gemebundo et velata sicut vidua, et dum applicuissent in montem Sion, intravit domum, et incoepit alta voce dicere: O mi Ioannes, ubi est tuus Magister? et dulciter atque pie commemorabat omnes alios discipulos, dicendo: Fili mi, hic heri de sero coenasti cum discipulis